AUTHOR:

HOFFMANN, O.

TITLE:

ERKLARUNGEN ZU LYKURGS REDE...

PLACE:

HAMM

DATE:

1887

Master Negative #

91-80249-31

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hoffmann, O

... Erklärungen zu Lykurgs Rede gegen Leokrates, für den schulgebrauch bestimmt. I. teil, cap. 1 - 17, von Dr. O. Hoffmann. ... Hamm, Grote, 1887.

16 p. $25\frac{1}{2}$ cm.

At head of title: Jahresbericht des Königl. Gymnasiums und des realprogymnasiums zu Hamm ...

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 14 x 2A
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/19 INITIALS BB
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

GYMNASIO FRIDERICIANO SUERINENSI

SACRA SAECULARIA TERTIA

D. IV. M. AUGUSTI A. MDCCCLIII CELEBRANDA

PIE GRATULATUR

GYMNASIUM CAROLINUM NEOSTRELITIENSE

PUBLICO INTERPRETE

CAROLO SCHEIBE. † 1869 zu Strelitz im October

INSUNT EMENDATIONES ALIQUOT LYCURGEAE.

STRELITIAE NOVAE.
TYPIS EXPRESSIT G. F. SPALDING.

Hrn. Prorector Dühr

Dresden, 30. October. Heute erfolgte auf dem Trinitatis-Kirchhofe die Bestattung des so früh abgeschiedenen Prof. Dr. Scheibe, Rectors des Vitzthumschen Geschlechts-Gymnasiums. Das „Dresd. J." berichtet davon: An der Spitze des Leichenzuges begleiteten die Schüler des Gymnasiums, wohl dreißig oder vierzig hochragende Palmen tragend, ihren Rector auf seinem letzten Wege; auch ehemalige Schüler, Offiziere und Studenten, die aus Leipzig herübergekommen waren, schlossen sich an. Neben dem Leichenwagen schritten mit Trauerflor und Marschallstab 12 Schüler der oberen Klassen, darunter der Erbgroßherzog von Mecklenburg-Schwerin und der Erbprinz von Ysenburg. Dem Sarge folgten ferner die Lehrer und viele andere der geachtetsten und angesehensten Männer der Stadt; eine lange Reihe von Wagen machte den Schluß. Schon im Trauerhause hatten sich außer dem Administrator der Vitzthumschen Stiftung, Hofmarschall Grafen Vitzthum v. Eckstädt, Se. K.H. Prinz Albrecht von Preußen, ferner der Staatsminister Dr. Frh. v. Falkenstein, mehrere der ersten Räthe des Cultusministeriums, desgleichen die obersten Geistlichen eingefunden. Primaner hielten, wie schon am Abend zuvor un[illegible] den Vormittag über, die Ehrenwache am offenen Sarg[illegible] Dem vierstimmigen Choralgesang folgten einige herzlic[illegible] Worte des ersten Oberprimaners und die Trauerrede d[illegible] Prof. Michael. Der Choral: „Jesus meine Zuversich[illegible] empfing die Leiche am Grabe, und, nachdem Hofmarsch[illegible] Graf Vitzthum in warmer Rede nicht nur als Administr[illegible]tor der Stiftung, sondern auch als Vater im Namen d[illegible] Aeltern seiner Anerkennung der Verdienste des Verstorbe[illegible]nen Ausdruck gegeben, zeichnete Geh. Kirchenrath Langbein anknüpfend an Maleachi 2. 6, das Wesen desselben i[illegible] ebenso charakteristischer als erbaulicher Weise, zum Trost und zur Ermuthigung der beiden Brüder, der beiden Söhne die vor dem Grabe standen, und der ganzen Kinder-, Jüng[illegible]lings- und Männerschaar rings umher.

Quum laetus nuper ad nos pervenisset nuncius, Vos, Viri humanissimi, doctissimi, propediem celebraturos esse illum diem, quo ante hos trecentos annos schola Vestra auspiciis et sumptibus Joannis Alberti, celsissimi Ducis Megapolitanorum, fortissimi emendatorum religionis Christianae sacrorum propugnatoris eiusdemque optimarum litterarum ardentissimi cultoris ac fautoris, ad normam atque exemplum illustris scholae provincialis Misnensis condita est atque inaugurata: alacriter nos unanimoque consensu publica pro salute et incremento ludi Vestri litterarii vota nuncupare atque aliquod qualecumque nostrae erga Vos voluntatis in hac tam rara tamque laetabili festi saecularis sollemnitate edere constituimus documentum: non quod illam nos magnopere ornaturos crediderimus aut aliquid lucis ad celebritatis illius splendorem allaturos esse speraverimus, sed ne neglecta gratulationis religione et sanctum officium pietatemque laesisse et vero nobismet ipsis defuisse videremur. Non uno enim sumus necessitudinis vinculo Vobiscum coniuncti. Protulit et Vestram et nostram scholam eadem patria, quae etsi bipartita, non tamen discissa est, sed sororia quadam cognatione colligata legum institutorumque com-

**

munione continetur, ut paene eam in unum civitatis corpus coaluisse dicas: condidit utrumque bonarum artium publicaeque institutionis domicilium eadem illustrissimorum Principum eiusdem stirpis munificentia: fovet, auget, promovet, amplificat res scholasticas nostras pariter utriusque domini nunc Megapolis imperium tenentis indefessa cura et largissima liberalitas: addit utraque Musarum sedes sedibus imperii gravitatem quandam ingenuaeque doctrinae lumen: denique intercedunt variae inter singulos utrimque magistros rationes coniunctionesque, quosdam etiam fundatae amicitiae atque vetustatis tenet iucundissima recordatio. Quindecim anni sunt, ex quo in urbe VESTRA conventus praeceptorum Germaniae septentrionalis habitus est. Tunc liberaliter VOS benigneque recepistis me, Eggertum, Ladevicum hinc profectos ad admirandam „plasticam Suerini pulchritudinem" (Licet rideatis: malui enim inquinate loqui, quam apud VOS, qui isti congregationi vel potius festis dapibus hilaritatis facetiarumque plenis interfuistis, in obscuritatis crimen incurrere). Posteriore tempore TE ego, WEXI, vir clarissime, spectatissime, qui et summa cum laude gymnasium Fridericianum moderaris, et acumen ingenii eruditionisque ubertatem insignibus scriptis comprobasti, iterum peropportune vidi Halis non exspectatum, sed exoptatum in illo communi omnium magistrorum et litteratorum hominum deversorio Eckstenii, collegae quondam mihi amicissimi: tum rursus in congressu philologorum Berolinensi quum per mihi gratus pariter ac Ladevico nostro accidit TUUS adventus, TUA confabulatio, TUA consuetudo, tum nihil mihi quidem gratius quam novissimi illius contubernii Gottingae a me TECUM initi recens memoria. Praeterea communis est utriusque nostrum patria Thuringia: nam ut TE suum sibi vindicat Numburgum, ita Geram Ruthenorum meam esse grato laetoque animo profiteor ac prae me fero. BUECHNERUS vero, ille Ciceronianae orationis intelligentissimus existimator omnisque elegantiae cultor atque effector, prima iuventutis docendae atque ad humanitatem et honestatem instituendae rudimenta fecit in iisdem aedibus Franckianis, in quibus Raettigius noster (qui utinam e gravi morbo, quo nuper conflictatus est, mox prorsus convalescat!) egoque aliquando praeceptorum provinciam administravimus. Porro DIPPIUS in eadem illa bonarum artium quasi officina honestorumque morum palaestra Halensi collega mihi contigit, non minus ille subtilitate et varietate scientiae quam amabili quodam animi candore probatus dilectusque et mihi et omnibus iis, qui mecum, ubi officio satisfactum, deposita scholastici muneris severitate et morositate apud Lothium, hominem sincerum et lepidum, confabulatum iocatumque conveniebant, Bergkio, Ungero, Krahnero, Hankelio, Scheuerlino, Geiero, aliis. Quid denique de TE dicam, carissime SCHILLERE, qui Ladevico mihique Lipsiae amplius viginti abhinc annos assiduo usu, commercio, familiaritate fueris coniunctissimus? Nam non modo antiquitatis cognitionem communiter nos hausimus ex Godofredi Hermanni potissimum viri immortalis disciplina, cuius merita ac beneficia in nos collata meis sunt laudibus superiora, verum etiam sub eodem tecto aliquamdiu degimus, laeta omnia ac tristia communia habuimus, inter nos veri inquirendi atque investigandi cupiditate, industria, ardore contendimus, studiorum fructus non in umbraculo quasi tenuimus reconditos, sed quottidie alter cum altero communicavimus.

Quocirca non mirabimini quod publicam hanc observantissimae pie-

tatis nostrae testificationem esse voluimus, quam mutua illa VESTRI nostrique gymnasii ratio et consociatio non commendare, sed vel efflagitare videbatur. VOS autem magnopere oro rogoque ut quod VOBIS obtulimus munusculum, leve licet ac tenue, pro laudatissima VESTRA humanitate benigne accipiatis et festinationi condonetis si quid deprehenderitis quod hodierni diei gravitate VESTRISque nominibus non satis dignum esse videatur. Est enim istud opusculum, quo emendationes aliquot in nuperrima mea Lycurgi oratoris editione (Lipsiae, sumpt. et imp. Teubneri 1853.) propositas defendere et confirmare studebam, tumultuarium quodammodo, quippe brevissimo tempore atque inter plurima et gravissima conscriptum negotia. Hoc utique velim VOBIS persuadeatis, verissimis nos animi affectibus motos esse ut pro incolumitate scholae VESTRAE VESTRAque salute vota susciperemus. Faxit Deus Optimus Maximus ut VESTRUM „seminarium reipublicae et ecclesiae" integrum stet, ut vigeat, floreat, crescat, ut VOS condito iam tertio saeculo quartum salvi, laeti, bona spe pleni auspicemini. Q. B. F. F. F. Q. S.

Emendationes aliquot Lycurgeae.

Orat. in Leocr. §. 29. *Ακούετε, ὦ ἄνδρες, τῆς προκλήσεως. ἅμα τοίνυν ταύτην Λεωκράτης οὐκ ἐδέχετο καὶ κατεμαρτύρει αὑτοῦ ὅτι προδότης τῆς πατρίδος ἐστίν· ὁ γὰρ τὸν πάντων συνειδότων ἔλεγχον φυγὼν ὡμολόγηκεν ἀληθῆ εἶναι τὰ εἰσηγγελμένα.*

Ita legitur in melioris notae libris AB, in deterioribus est *τῶν πάντων συνειδότων.* Imm. Bekkerus *τὸν πάντων [τῶν] συνειδότων* edidit, scilicet ut grammaticae satisfaceret: sed grammaticae satisfaciens non satisfecit sententiae loci, ut recte animadvertit Schoemannus ad Isaeum p. 332, qui «servi, inquit, de quibus Lycurgus loquitur, non sunt *πάντες οἱ συνειδότες,* sed praeter eos etiam liberi multi illarum rerum conscii, quorum testimonio paullo ante orator usus est«: itaque ingeniose scribendum censuit *τὸν παρὰ τῶν συνειδότων ἔλεγχον* secundum Isaei or. 6. de Philoct. hered. §. 16. *καὶ παρὰ τῶν ὄντων θεραπόντων τὸν ἔλεγχον ποιεῖσθαι* emendationemque probavit Baitero Sauppioque in corpore oratorum Atticorum. Verum hoc quidem loco aegre desidero aliquid, quo ii quorum indicium fugit Leocrates non solum fugae sed ceterorum etiam flagitiorum a Leocrate commissorum, ut breviter dicam omnium omnino criminum quae supra exagitaverat orator conscii esse dicantur, praesertim quum Lycurgus *πρόκλησιν* ab se de omnibus his rebus, *ὑπὲρ τούτων ἁπάντων,* institutam esse affirmaverit §. 28. Itaque leniore, ut mihi quidem videtur, mutatione scripsi *ὁ γὰρ τὸν πάντ' αὐτῷ συνειδότων,* duas voces *πάντ' αὐτῷ* simili errore an negligentia a librario in unam *πάντων* conflatas esse ratus, qua in verbis Lysiae or. 14. in Alcib. A. §. 37. *μηνυτὴς αὐτοῖς Λακεδαιμονίοις ἐγένετο* pronomen *αὐτοῖς* ex *αὐτῶν τοῖς* coaluisse ostendi in Emendationum Lysiac. fasc. p. 24. Jam vero si quis erit quem male habeat articuli defectus, non magnopere repugnem, si corrigi malit *ὁ γὰρ τὸν τῶν πάντ' αὐτῷ συνειδότων ἔλεγχον,* quanquam articulum necessario flagitari nego: ac ne quis requirat *τὸν πάνθ' αὐτῷ,* conferantur quae docte accurateque observavit C. F. G. Arndtius in dissertatione de pronomi-

num simplicium constructione reflexiva apud Graecos (Neobrandenburgi, 1840. p. 41 sq.) et Kühnast. in utili progr. Rastenburgensi (a. 1851.) p. 12.

§. 30. Lycurgus quod *πρόκλησιν* instituerit, quae cum magno suo coniuncta sit periculo, in eo diligentiam suam ac religionem conspici affirmat, qua ne iniuste Leocratem criminatus esse videretur caverit: *οὑτοσὶ δέ*, pergit, *διὰ τὸ συνειδέναι ἑαυτὸν οὐχ ὑπέμεινεν ἀλλ' ἔφυγε. καίτοι, ὦ ἄνδρες, πολὺ θᾶττον οἱ Λεωκράτους οἰκέται καὶ θεράπαιναι τῶν λεγομένων ἄν τι ἠρνήθησαν ἢ τὰ μὴ ὄντα τοῦ αὐτῶν δεσπότου κατεψεύσαντο.* In quibus verba *διὰ τὸ συνειδέναι ἑαυτὸν οὐχ ὑπέμεινεν* et stribligine inquinata sunt et parum concinunt cum loci sententia. Atque manifestum quidem mendum *ἑαυτὸν* Stephanus sanavit eo quod *ἑαυτῷ* substituit: assensi sunt plerique omnes editores. Sed illa medela non omnis de hoc loco dubitatio diluitur ac profligatur. Primum enim, id quod recte videtur a C. Halmio in Act. Philol. Monac. IV. p. 138. notatum, si dicere voluisset adversarium propter suam ipsius facinoris conscientiam illam provocationem recusasse, scripsisset potius *οὑτοσὶ δὲ συνειδὼς ἑαυτῷ οὐχ ὑπέμεινεν.* Huc accedit altera caussa quaeque maiorem mihi ad augendam suspicionem vim habere videatur, repetita illa e consilio oratoris argumentationisque ratione. Exposuerat enim Leocratem eo quod *πρόκλησιν* non receperit contra se ipsum testimonium dixisse: nam qui consciorum probationem (§. 29. *τὸν πάντ' αὐτῷ συνειδότων ἔλεγχον* vel quoquo modo ista verba scribuntur) repudiaverit, eum veram esse criminationem confiteri: iustissimum vero esse ac populare (*δημοτικόν,* quod servavi pro *δημοτικώτατον*) in caussis controversis servos ancillasque earum rerum de quibus quaestio instituatur conscios tormentis tradere. »Ego igitur, pergit, ne iniuste Leocrati diem dixisse viderer, propriis periculis susceptis proposui ut servi adversarii adigerentur tormentis, unde verane essent necne quae insimulassem cognosceretur.» Ab hac argumentatione, quae tota versatur in commendanda quaestione servorum Leocratis consciorum, vide quantopere abhorreant ea quae opposita sunt: »iste vero quod (culpae suae) sibi conscius est repudiavit illam probationem omnium evidentissimam.« Culpae enim conscientia sola caussa non fuit cur *πρόκλησιν* detrectaret: si enim servos habuisset suae culpae non conscios, ex iis extorqueri quaestione nihil potuisset. Quare id dicendum erat quod inserendo pronomine *τούτους* in mea edit. expressi sic scribens: *διὰ τὸ [τούτους] συνειδέναι ἑαυτῷ οὐχ ὑπέμεινεν ἀλλ' ἔφυγε* (intell. *τὸν ἔλεγχον*). Ita demum apte subiunguntur quae non minus ad servorum ancillarumque indicium pertinent *καίτοι, ὦ ἄνδρες, — κατεψεύσαντο.* Forsitan vero quispiam similitudine litterarum proximarum ductus suspicetur a Lycurgo hunc ordinem verborum profectum esse: *διὰ τὸ συνειδέναι ἑαυτῷ τούτους οὐχ ὑπέμεινεν*: quem tamen quominus probarem impedivit me collocatio verborum minus commoda. Pro *λεγομένων* autem de coniectura Bekkeri in Addit. prolata dedi *γενομένων*: neque vero ego illud per se vituperassem attrectassemque (*τὰ λεγόμενα* enim facinora supra ab oratore dicta significare posse haud ignoro), nisi opposita essent

verba *τὰ μὴ ὄντα,* quibus *τὰ γενόμενα* contraria esse patet, non *τὰ λεγόμενα,* ut nihil ad vulgatam scripturam suffulciendam faciant loci Andoc. de myster. §. 57. et Isocr. de pace §. 57. In Lysiae autem or. 13. in Agor. §. 15. libri mscr. et edd. omn. habent *ὁρῶντες δὲ οὗτοι οἱ ἄνδρες ὀνόματι μὲν εἰρήνην λεγομένην, τῷ δ' ἔργῳ τὴν δημοκρατίαν καταλυομένην.* Quid vero? Qualis vocatur pax nomine dicta? nonne huic opposita esset pax reapse non dicta? Quod sane absurdum est et absonum. Deinde Theramenes legatus *αὐτοκράτωρ* a populo electus (§. 9.) iam factam a se cum Lacedaemoniis pacem Athenas attulit, non faciendam (§. 13.), ut hoc taceam, quum singula sibi enunciationis membra respondeant, parum commode e contrario posita esse *λεγομένην* et *καταλυομένην.* Quibus de caussis non dubitavi *γενομένην* in edit. mea reponere.

§. 32. Servos servasque, quippe in quos tormentis inquiratur, dicendi vi captionibusque oratoriis a vero deduci posse negat Lycurgus his verbis: *τίνας ἀδύνατον ἦν τῇ δεινότητι καὶ ταῖς παρασκευαῖς ταῖς τοῦ λόγου παραγαγεῖν; [τοὺς οἰκέτας]. κατὰ φύσιν τοίνυν βασανιζόμενοι πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν περὶ πάντων τῶν ἀδικημάτων ἔμελλον φράσειν οἱ οἰκέται καὶ αἱ θεράπαιναι.* Sic edidit Imm. Bekkerus. At verba *τοὺς οἰκέτας* neque in ullo cod. scripta leguntur et supervacanea sunt misereque languent, imo concinnitati officiunt, quum proxime *οἱ οἰκέται καὶ αἱ θεράπαιναι* commemorentur. Saltem *καὶ τὰς θεραπαίνας* adiungi oportuit. Apertum est igitur additamentum esse interpretis alicuius, qui neglectam oratoris sibi ipsi responsionem aegre ferebat quique particulam *τοίνυν* non habebat quo referret. Nimirum omissis illis verbis *τοὺς οἰκέτας* idonea explicatione destituta est particula ista, quam defensitans Maetznerus *συλλογιστικῶς* positam esse sibi persuadet. At vide mihi hunc syllogismum: »Quinam fallaciis oratoriis capi non poterant? (Intell. Servi servaeque.) Jam vero (s. atqui) pro natura sua ingenioque tormentis traditi omnem de omnibus flagitiis veritatem dicturi erant servi et ancillae.« Scilicet est iste *συλλογισμός,* ut mihi quidem videtur, prorsus *ἀλόγιστος.* Nam ea ipsa de caussa, quod servi omnem veritatem proloquuntur, fieri non potest ut apparatibus istis oratoriis captionibusque a vero deducantur. Ergo his verbis caussam ac rationem contineri necesse est, contineri propositio quae vocatur minor nullo modo potest. Id auguratus Dobraeus *γοῦν* particulam in locum vocis *τοίνυν* sufficiendam intellexit, etsi de scriptura ceterorum verborum falsus est, de quibus rectius iudicans Jenickius illi emendationi patrocinatur in symbolis crit. ad Lyc. Leocr. p. 12. sq. Verbis igitur adulterinis *τοὺς οἰκέτας* eliminatis et *γοῦν* reposito hanc sententiam nanciscimur valde appositam: »Quinam vi dicendi orationisque machinationibus capi nequibant? (Cogitatione intelligenda est ad redintegrandam sententiam responsio: Servi et ancillae.) Certe pro natura sua ingenioque in tormenta dati omnem veritatem prodituri erant servi servaeque.« Nos: Wenigstens ist so viel gewiss, dass die Sklaven und Mägde ihrer Natur nach bei der Folterung den ganzen Thatbestand der Wahrheit gemäss ausgesagt haben würden. *γοῦν* enim confirmandi vim cum

aliqua restrictione habere docuerunt praeter alios Schneiderus ad Plat. de Civ. p. 335. E. Weber. ad Dem. Aristocr. p. 137. God. Hermannus ad Aeschyli Prom. 162. vol. II. p. 67.*)

Huiusmodi glossematis quum multis aliis locis deformata est oratio Lycurgea, veluti §. 2. (§. octavae autem verba integra esse existimavi Meieri in comment. de Lycurgo Gust. Kiesslingii fragm. Lycurgeis subiuncta p. CXLII. sq. sententiae astipulatus) §§. 13. 26. 38. 124. 132. 146. 147., tum nondum omnia aperta esse atque ex ordine verborum extrusa videntur. Tribus defungar exemplis. Primum est §. 121. *ἔπειτα ἐκεῖνοι μὲν τοὺς ἐν αὐτῇ τῇ χώρᾳ μεταστάντας οὕτως ἐκόλαζον, ὑμεῖς δὲ τὸν ἐκ τῆς πόλεως καὶ τῆς χώρας ἐν τῷ πολέμῳ φυγόντα εἰς Ῥόδον καὶ προδόντα τὸν δῆμον οὐκ ἀποκτενεῖτε;* Quem in locum Leocrates fugerit hic quidem dici nihil attinebat: omnino enim quod non in urbe remanserit in bello, sed urbem Atticamque deseruerit, id illi crimini vertitur dignumque supplicio iudicatur. Hoc ita esse maxime elucet ex oppositorum enunciationis membrorum ratione: sunt enim *οἱ ἐν αὐτῇ τῇ χώρᾳ μεταστάντες* oppositi *τῷ ἐκ τῆς πόλεως καὶ τῆς χώρας ἐν τῷ πολέμῳ φυγόντι καὶ* (ideoque) *προδόντι τὸν δῆμον*, atque *οὕτως ἐκόλαζον* respondet verbis *οὐκ ἀποκτενεῖτε*. Ut autem verbo *μεταστάντας* non subiunxit orator *εἰς Δεκέλειαν*, ita non licuit ei *εἰς Ῥόδον* adiicere verbo *φυγόντας*, praesertim quum additamentum illud consuetudini constanter diligenterque ab oratoribus observatae prorsus repugnet, qua quum *παραδείγμασι* utuntur (v. Aristot. rhet. I. 2. 17. Anaxim. rhet. 8. p. 30 sq. Spengel. et cfr. Weber. ad Dem. Aristocr. p. 336.) sive priscorum consiliorum atque factorum exempla audientibus proponunt, post singulas res enarratas ita comparationem instituere solent cum praesenti rerum statu civiumque vel iudicum mentibus ac disciplina, ut universe alteras res ad alteras attendant et insignes quae inter utrasque intercedunt sive similitudines sive discrepantias dilucide iuxta se ponant, non ut singulatim singulas quasque res repetant iam memoratas aut non necessario cum collatione cohaerentes, veluti supra §. 115. extr. 116. 119., infra §. 123. Dem. Olynth. III. §. 27. sqq., a quo mutuatus est sua auctor orationis *περὶ συντάξεως* §. 27. sqq. Isocr. Areopag. §. 81. sq. Quod quum ita sit, cancellis saepsi verba *εἰς Ῥόδον*, ut pote quae mihi a sciolo quodam homine ad *φυγόντα* interpretationis caussa assuta esse viderentur, videlicet ne quis Leocratem Rhodum fuga petiisse ignoraret, quasi vero hoc non ex ipsa Lycurgi narratione innotuisset.

Venio ad secundum locum, quem interpolatum esse demonstraturus eram: §. 129. enim

*) Eandem partic. *γοῦν*, quanquam alia illic usurpatam significatione, auctore Jenickio l. d. p. 29. sq. restitui Lycurgo §. 141. *ἐπειδὴ δ᾽ οὐ νόμιμον οὐδ᾽ εἰθισμένον ἐστίν, ἀλλ᾽ ἀναγκαῖον ὑμᾶς ὑπὲρ ἐκείνων δικάζειν, τιμωρησάμενοι οὖν Λεωκράτη — ἀπαγγείλατε τοῖς ὑμετέροις αὐτῶν παισί κ. τ. λ.*, ubi quod in libris omnibus et mscr. et ed. legitur ouam sit alienum ab apodosis ratione cuivis patebit.

haec leguntur: *καὶ πᾶσιν ἐπίσημον ἐποίησαν (οἱ Λακεδαιμόνιοι) τὴν τιμωρίαν, ὅτι οὐδ᾽ αἱ παρὰ τῶν θεῶν ἐπικουρίαι τοῖς προδόταις βοηθοῦσιν, εἰκότως.* Anacoluthiam esse aiunt interpretes auxilio vocantes Platonis illa in Critone p. 44. D. *αὐτὰ δὲ δῆλα τὰ παρόντα νυνὶ ὅτι οἷοί τ᾽ εἰσὶν οἱ πολλοὶ οὐ τὰ σμικρότατα τῶν κακῶν ἐξεργάζεσθαι:* sed haec Lycurgeis verbis multo leniora sunt, quod quum *ἐστὶ* sit mente repetendum, *τὰ παρόντα* temporis accuratius significandi caussa ad *αὐτὰ* adiectum tanquam adverbii vices sustinet: »ipsum hoc idque apertum praesenti tempore.« Deinde dicendi negligentiam a Platone admissam ut in sermone, eandem in oratione oratorem admisisse vix adducor ut mihi persuadeam. Utique durissimum est illud Lycurgi, si tamen est Lycurgi, ac potius intolerabile anacoluthon. Denique, id quod videtur gravissimum, codices ipsi vacillant: nam ABLZ hunc verborum ordinem tenent: *ἐποίησαν τὴν τιμωρίαν*, contra non solum cod. P, sed etiam ed. Aldina ceteraeque vetustiores *τὴν τιμωρίαν ἐποίησαν*, ex qua ambiguitate sedis vocabulorum *τὴν τιμωρίαν* iure mihi suspicari videor haec ipsa fuisse aut supra *ἐπίσημον* aut ad marginem allita indeque ea librarios alios alio loco in tenorem orationis suscepisse. Quare Mori auctoritati obsequutus *τὴν τιμωρίαν* uncis secludere, quam ei, quae ab eodem viro docto proposita est correctioni *τῇ τιμωρίᾳ*, licet per se ipsi probabili, album calculum apponere malui.

Denique perlustremus §. 145, ubi item aliquid ex interpolatione orationi obtrusum videtur. Verba haec sunt: *οὐ γὰρ μόνον νῦν οἱ φεύγοντες κατέρχονται, ὅταν ὁ ἐγκαταλιπὼν τὴν πόλιν καὶ φυγὴν αὐτὸς ἑαυτοῦ καταγνοὺς καὶ οἰκήσας ἐν Μεγάροις ἐπὶ προστάτου πλείω πέντ᾽ ἢ ἓξ ἔτη ἐν τῇ χώρᾳ καὶ ἐν τῇ πόλει ἀναστρέφηται.* Quae pone *πλείω* posita sunt *πέντ᾽ ἢ ἓξ* molestias facessiverunt interpretibus. Primum enim mirum est oratorem hic de numero annorum ambigere, quum §. 21. *πλείω ἢ πέντε ἔτη*, §. 56. *πέντε ἔτη*, §. 58. vero *ἓξ ἔτη* adversarium Megaris habitasse narraverit. Constabat igitur eum quinque et quod excedit annos illic versatum esse: quod enim ultimo loco sex annos dixit Lycurgus, ea oratoria est amplificatio. Sed esto, ut nostro loco incertum reliquerit orator quinque an sex annos Megaris incoluerit Leocrates: qualis, obsecro, est ista coniunctio verborum *πλείω πέντ᾽ ἢ ἓξ ἔτη?* Artificiosam enim esse et scribendi rationem a Pinzgero excogitatam *πλείω, πέντ᾽ ἢ ἕξ, ἔτη* et eiusdem interpretationem: mehrere Jahre, fünf oder sechs» recte monuit Maetznerus: equidem prope perversam vocaverim. Nam quum *πέντε ἢ ἓξ ἔτη* dicebat orator, hunc plurium annorum numerum esse per se patebat. Sed quam ipse Maetznerus extricandarum difficultatum ingressus est viam, ne eam quidem mihi placere ingenue fateor. Hic enim vir doctus omissionem *ἢ* particulae post *πλείω* (imo *πλεῖον*) similiaque haud insolitam esse, verba autem *ἢ ἓξ* corrigentis atque ambigentis esse arbitratur. Atque *ἢ* quidem particula quin nonnunquam, perinde atque apud Romanos quam, suppressa sit dubium non erit comparantibus exempla a Lobeckio ad Phryn. p. 411. congesta: quod autem *ἢ ἓξ* ita vindicat Maetznerus, ut corrigentis vel ambigentis esse contendat, id, pace viri clarissimi dixerim, rectae

rationi cogitandique praeceptis adversatur, vel certe horridam efficit incultamque orationem. Nam Leocrates si plus quinque annos Megaris habitavit, potuit etiam sex et quod excurrit annos, sed tum non simul ultra sex annos eum illic habitasse dici oportuit. Sin vero ultra sex annos illic habitavit, eum non infra sex annos habitare potuisse consentaneum est, ergo non simul ultra quinque annos. Aliter comparati sunt loci ii quos rei suae favere opinatur Maetznerus, Dem. in Mid. §. 78. *εἰς ἡμέραν ὡσπερεὶ τετάρτην ἢ πέμπτην*, eiusd. orat. §. 154. *γεγονὼς ἔτη περὶ πεντήκοντα ἢ μικρὸν ἔλαττον:* in iis enim quum vocabula *ὡσπερεὶ* et *περὶ* usurpata sint, non minimus affertur numerus, sed sitne quid infra an ultra illos numeros nesciri aut dubitari dicitur: vocabulo autem *πλεῖον* adhibito quum infimus numerus designetur, omnis inferior excluditur. Quodsi in nostro loco *ὡσπερεὶ* vel *περὶ* scriptum fuisset, non esset magnopere in quo offenderemus. Itaque quoniam ne in illorum quidem exemplorum similitudine quicquam salutis positum esse demonstravimus, nihil reliquum erit nisi ut ea de quibus quaerimus verba aliquam labem contraxisse statuamus. Tale quid subodoratus Taylorus illa vix Graeca esse iudicavit: Heinrichius autem deleto ἓξ et transposita vocula ἢ edidit *πλείω ἢ πέντε ἔτη.* Cui quidem etsi de delendo voc. ἓξ assentior (nunc enim reprobo ac retracto quod in editione mea conieci *πέντ' ἢ ἓξ* ab interprete supra *πλείω* suprascripta esse, tunc parum recordans comparativum *πλείω* non aeque vim suam comparativam exuere ac Latinum complures): etsi igitur Heinrichio de aliqua emendationis parte assentior, verba tamen ipsa ex illa ratione nondum persanata esse persuasum habeo. Primum enim vocula ἢ contra codicum auctoritatem ante *πέντε* interserta facile supersedemus, deinde in libris est *πέντ'* sine hiatu (ceterum alibi non anxie a Lycurgo evitato, Benseler. de hiatu p. 194.), tum *πλείω* quin mendosum sit mihi quidem dubium non est. Scripsit potius, ni fallor, Lycurgus: *πλεῖον πέντ' ἔτη.* Expunxi *ἢ ἕξ,* quae interpres aliquis, §. 58. sex annos commemorari reminiscens, supra *πέντε* appinxit, quo rem dubiam esse significaret, atque *πλείω* in *πλεῖον* mutavi, quod idem pro *πλείονα* et *πλείω* e codicis Palat. X priore manu Lysiae or. 7. §. 6. cum duumviris Turicensibus et or. 19. §. 31. de coniectura Sauppii restitui debebamque restituere ipsi Lycurgo eo quem supra testimonii caussa attuli loco §. 21. pro *πλείω:* quam emendationem a me ceterisque editoribus omnibus neglectam esse vehementer doleo. V. Lobeck. ad Phryn. p. 410 sq. C. Sintenis ad Plutarchi Pericl. c. 35. p. 239 sq. H. Sauppii ep. crit. ad G. Herm. p. 12. sq.

§. 45. *ὧν εἰκὸς ὑμᾶς ἀναμνησθέντας τὸν μηδὲ ξυνενεγκεῖν μηδ' ἐπ' ἐκφορὰν ἐλθεῖν ἀξιώσαντα τῶν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας καὶ τοῦ δήμου σωτηρίας ἐν Χαιρωνείᾳ τελευτησάντων θανάτῳ ζημιῶσαι, ὡς τὸ ἐπὶ τούτῳ μέρος ἀτάφων ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν γεγενημένων.* Multum interpretes torsit atque exercuit verbum *ξυνενεγκεῖν*, quod e peioris notae libris receptum est: in melioribus exstat *ξυνεγκεῖν,* in solo Z *συνενεγκεῖν.* Videamus primum quid rei sit. Orator postquam de fortitudine, strenuitate, constantia loquutus est,

quam optimus quisque civis ante pugnam Chaeronensem et in ipso certamine praestiterit, iam exponit quanto honore illos post gloriosam mortem pro patriae salute libertateque susceptam affecerint Athenienses quantumque studium et pietatem exhibuerint in celebrandis exsequiis, quas una cum ceteris prosequi dedignatus sit Leocrates. Hoc enim est *μηδ' ἐπ' ἐκφορὰν ἐλθεῖν ἀξιώσαντα:* quid vero quod praecessit *μηδὲ ξυνενεγκεῖν?* Num forte una cum ceteris mortuos efferre? At haec significatio verbi *ξυμφέρειν* neque deprehenditur usquam, ut recte observatum est a Maetznero, et intolerabilis efficitur sive *ταὐτολογία* sive abundantia oratoria, quae eo minus protest probari, quod altera notio ab altera per partt. *μηδὲ — μηδὲ* disiuncta est, ut aliud priore, aliud insequenti membro dictum esse appareat. At enim ex his tricis facili negotio nos expediamus, si Meieri (de Lycurgo l. d. p. CL.) accedamus sententiae, qui verbum de efferendis funeribus proprium *ξυνεξενεγκεῖν* Dobraei suasu reponendum censuit, et verbis *μηδ' ἐπ' ἐκφορὰν ἐλθεῖν,* quae idem ille Britannus pro suppositiciis habuit, retentis hoc inter utramque loquutionem interesse statuamus, ut *ξυνεκφέρειν* sit «simul efferre funus», *ἐλθεῖν ἐπ' ἐκφορὰν* autem idem quod *παραπέμπειν,* i. e. «sequi funus». Verum *ξυνεκφέρειν* nihil aliud valere quam *ἐπ' ἐκφορὰν ἐλθεῖν* luculenter perspicitur c Thucyd. II. 34. *ἐπειδὰν δὲ ἡ ἐκφορὰ ᾖ — ξυνεκφέρει δὲ ὁ βουλόμενος καὶ ἀστῶν καὶ ξένων· καὶ γυναῖκες πάρεισιν αἱ προσήκουσαι ἐπὶ τὸν τάφον ὀλοφυρόμεναι:* quorum sententia est haec: «virorum exsequias prosequuntur quotquot volunt, etiam feminae intersunt, sed eae cognatae.» Hic *ξυνεκφέρειν* non esse funus una cum ceteris aut communiter manibus humerisve efferre vel ex eo elucet, quod etiam feminae funeri interesse dicuntur vel ex eo, quod non omnes quotquot volebant corpus defuncti una efferre poterant, ut praetermittam perraro factum esse ut civium corpora a civibus ipsis efferrentur (C. Fr. Hermanni antiquit. Graec. priv. §. 39. n. 24.). Sequitur ne Meieri quidem ratione profici quicquam. Deinde Coraes quod *μηδὲν ξυνενεγκεῖν* rescripsit, id de subsidio patriae non praestito intelligi voluit perinde ac §. 43. *τὸν οὐδὲ συμπενθῆσαι τὰς τῆς πατρίδος συμφορὰς τολμήσαντα, οὐδὲ συμβεβλημένον οὐδὲν εἰς τὴν — σωτηρίαν:* quae sententia quum arrideret Maetznero, ipse vocabulo *μηδὲ* servato, *ξυνεισενεγκεῖν* corrigi maluit. At vero huiusmodi sententia quae conveniebat illi loco (§. 43), ubi omnes res quascumque per tempora illa discriminosa et calamitosa intermiserit iste aut deliquerit, deinceps enumerantur, ab hoc quidem nostro loco prorsus aliena est, in quo de iis dumtaxat, quae proelium illud fatale insequuta sunt, loquitur orator, imprimis autem de publico caesorum funere. Quod hic flagitatur acute eruit Jenickius symb. crit. p. 14., qui, quum *ἐπιφέρειν* usitatum de inferiis afferendis verbum sit, vulgatam lectionem retinens ad munera refert quibus ornare solebant defunctos. Sed simplex verbum *φέρειν* ita usurpatum esse nego pro composito *ἐπιφέρειν.* Itaque ego de mea coniectura dedi *μηδὲ ξυνεπενεγκεῖν:* «noluit Leocrates inferias una cum ceteris afferre.» Verbum autem *ξυνεπιφέρειν* etsi nemo veterum, quod quidem meminerim, usquam usurpaverit, tamen legi-

time formatum nihil morabitur eum, qui quanta libertate usi sint Graeci in verbis qualibuscumque cum praepos. *σὺν* componendis meminerit. De *ἐπιφέρειν* Jenick. contulit Thucyd. II. 34. et Isocr. or. 9. Evag. §. 1. Adde Thucyd. III. 58. Plut. Pericl. 35. extr. Schoemann. ad Isaeum p. 398.

§. 80. *ὃν (ὅρκον) ἄξιόν ἐστιν ἀκοῦσαι· καὶ γὰρ παλαιῶν ὄντων τῶν τότε πεπραγμένων ὅμως ἰσχνῶς ἔστιν ἐν τοῖς γεγραμμένοις ἰδεῖν τὴν ἐκείνων ἀρετήν.* Mihi *ἰσχνῶς* non solum displicet, sed tam alienum videtur, ut paene contrarium requiram. Si enim explicatur ita: «Quamvis prisca sint illa ideoque obscuriora, quae tum gesta sunt, tamen exiliter sive tenuiter e iurisiurandi formula videre licet illorum virtutem», id quantopere a loci ratione abhorreat nemini dubium esse confido: nisi forte cui in mentem venerit *ἰσχνῶς* ita vindicare, ut «aliqua ex parte, aliquo modo (einiger Massen)» designare dicat. At hunc vocabuli significatum nec ullo alio offendas loco, neque quo pacto fieri possit ut gracili, tenui, exili modo idem denique valeat quod aliquatenus facile rimere. Adde quod ideo sacramenti formulam recitari iussit orator, ut ii qui audiebant fortitudinis maiorum suorum suis animis repeterent memoriam indeque non aliquo modo, sed satis luculenter qualis fuerit illa recordarentur. Quae viri docti incommoda quum sensissent confugerunt ad aliam interpretationem, depromptam illam e Polybii I. 2. 6. verbis *τῆς δὲ Εὐρώπης τὰ μαχιμώτατα γένη τῶν προσεσπερίων ἐθνῶν ἰσχνῶς εἰπεῖν οὐδ' ἐγίνωσκον,* ubi *ἰσχνῶς εἰπεῖν* est stricte dicere, mit dürren Worten, geradezu sagen. Verum ut id recte et ordine dici concedam, non item concedo de *ἰσχνῶς ἰδεῖν* «stricte sive tenuiter videre»: id enim quid velit iure se perspicere negat Maetznerus. Oritur igitur de corruptela illius vocis suspicio. Atque Coraes quidem, cui obsecundavit idem Maetznerus, scripsisse Lycurgum coniecit *ἱκανῶς,* ad sententiam accommodatissime ille quidem, sed Meierus, qui et ipse improbat vulgatam scripturam, librarium ex *ἱκανῶς* in *ἰσχνῶς* aberrasse suo sibi iure improbabile videri profitetur. Contraria reprehensio in Vilh. Dindorfii cadit suspicionem, qui in H. Stephani thes. Didotiano IV. p. 709. proposuit *ἰσχυρῶς* (firmiter, vehementer, valde, admodum): huius enim adverbii notionem parum huic loco idoneam esse manifesto apparet. Quare equidem leni adhibita medela scribendum curavi *συχνῶς:* »abunde sive satis superque videre licet in scriptis litteris (h. e. in iuris iurandi carmine)». *συχνῶς* enim quum valeat frequenter, tum copiose sive abunde valere posse consentaneum est. Fallitur autem Meierus, quod pro *ἐν τοῖς γεγραμμένοις* exspectari potius opinatur *ἐν αὐτοῖς: τὰ γεγραμμένα* enim est iuris iurandi carmen scriptum et publice asservatum, illisque opposita sunt *τὰ τότε πεπραγμένα:* quodsi quis aliquid in his corrigi velit, scribere forsitan animum inducat *ἐν τοῖς γε γεγραμμένοις,* quo tamen nec ipso opus esse puto. Denique quod in ingrato sono *ὅμως ἰσχνῶς* offendit Meierus, in memoriam revocare debebat *κακοφωνίας* ne ab optimis quidem diligentissimisque scriptoribus interdum reformidatae exempla, quae multa congesta sunt a C. Foertschio in Observatt. crit. in Lys. oratt. p. 15.

§. 83. et 105. Qui in oratorum Atticorum reliquiis accuratius perscrutandis elaboraverunt sciunt quantopere fluctuent libri mscr. inter pronomina *ἡμεῖς* et *ὑμεῖς,* siquidem aut solos audientes alloquitur orator aut se eorum numero accenseri vult et includi. Quod quoniam saepenumero certo definiri dignoscive nequit, utrum utri praeferas ancipitis est et subtilis iudicii: codicum enim in hac lite dirimenda plerumque ambigua fides est. Cuius rei exempla quum in quavis oratione sat multa suppetunt, tum eos qui Lycurgum ediderunt non ubique utra forma praeoptanda esset recte perspexisse duobus testimoniis probabo.

Prius est §. 83. *τοῦτο γὰρ ἔχει μέγιστον ἡ πόλις ὑμῶν ἀγαθόν, ὅτι τῶν καλῶν ἔργων παράδειγμα τοῖς Ἕλλησι γέγονεν· ὅσον γὰρ τῷ χρόνῳ πασῶν ἐστὶν ἀρχαιοτάτη, τοσοῦτον οἱ πρόγονοι ἡμῶν τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ἀρετῇ διενηνόχασιν.* Sic optimi codd. AB, quos sequuti sunt editores omnes: contra ea ego librorum LPZ scripturam *ἡ πόλις ἡμῶν,* quam solam veram esse iudico, Lycurgo reddendam esse censui, primum quod «aptissimus est usus pronominis primae personae, ubi orator de civitate loquitur eiusque dignitatem sentit» (sunt verba Weberi ad Dem. Aristocr. p. 338.), deinde quod in iis quae instant verbis ubique prima persona posita est: et quidem eadem §. extr. *οἱ πρόγονοι ἡμῶν,* ubi Sauppius frustra *ὑμῶν* malebat, deinde §. 84. *ἐπὶ τὴν πόλιν ἡμῶν,* ubi codd. AB *ὑμῶν,* quod falsum esse arguitur eo quod quae proxime subsequitur prima pronominis persona *ἡμῶν* in iisdem codd. non est mutata: postremo bis legitur §. 85. *οἱ πρόγονοι ἡμῶν.*

Non minus discessi ab omnium editorum opinione §. 105. *καίτοι εἰ τοῖς ἀφ' Ἡρακλέους γεγενημένοις*), οἳ ἀεὶ βασιλεύουσιν ἐν Σπάρτῃ, τοὺς παρ' ὑμῶν ἡγεμόνας ἀμείνους ὁ θεὸς ἔκρινε, πῶς οὐκ ἀνυπέρβλητον κ. τ. λ.:* e solo enim cod. P reposui *παρ' ἡμῶν,* quum proxime antecesserit sine scripturae varietate *ὥστε τοῖς ἀνδρειοτάτοις Λακεδαιμονίοις ἀνεῖλεν ὁ θεὸς παρ' ἡμῶν ἡγεμόνα λαβεῖν.*

§. 140. autem iam H. Sauppius *ταῦτα γάρ ἐστι κοινῶς ὑπὲρ ὑμῶν ἁπάντων,* licet invitis libris mscr. corrigendum esse intellexit collatis his §. 139. verbis *κοινὰς χάριτας ὑμᾶς ἀπαιτοῦσιν,* et paullo post *ἄξιός ἐστι παρ' ὑμῶν τοιαύτης χάριτος.*

*) Dativum e comparativo pendere non posse manifestum est: neque vero e verbo *ἔκρινε* suspensum esse, quae fuit Osanni et Maetzneri opinio, inde apparet, quod non solis regibus responsum datum est, ut nihil dicam de constructionis insolentia. Libri vel *εἰ τοῖς — γεγενημένοις,* vel *εἰ τοὺς — γεγενημένοις* vel *εἰ τοὺς — γεγενημένους,* unde Th. Bergkius nescio an verum eruerit coniectura mecum per litteras communicata, qua scripsisse Lycurgum suspicatus est: *εἰ πρὸς τοὺς — γεγενημένους,* sicque edidi, inclusa tamen praepos. *πρός.* Ego aliquando existimabam corrigi posse *εἰ ἐπὶ τοῖς — γεγενημένοις,* sed intellexi aliter conformatum esse Homericum illud *Οὐ γάρ τι στυγερῇ ἐπὶ γαστέρι κύντερον ἄλλο.* Genetivum autem *εἰ τῶν — γεγενημένων,* qui est in ed. Aldina, nemo, opinor, librarius in dativum aut accusativum immutare animum induxisset: imo vero contrarium in proclivi fuisse consentaneum est.